

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann Hermann Hartmann

Disputatio Theologica De Satisfactione Christi Pro Totius Mundi Peccatis

Rostochi[i]: Pedanus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73969491X>

Druck Freier  Zugang



Vet.: H. Hartmann

Joh. Cothmann
R. N. theol. 1635.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

SATISFACTIONE
CHRISTI PRO TOTIUS
MUNDI PECCATIS,

Quam

Moderatore & Auspice Christo,
SUB PRÆSIDIO

Viri Reverendi & Clarissimi

Dn. JOHANNIS COTHMANNI
SS. THEOL. DOCTORIS, IN ILLUSTRI
Rosarum Academiâ Professoris eximii, & p. t. D E-
CANI spectabilis, Præceptoris ac Promotoris sui
æviternum honorandi,

publicè examinandam proponit

HERMANNUS HARTMAN Rostoch.
SS. Theol. Studiosus,

IN AUDITORIO MAJORI

ad diem 11 Martii. Aprilis

1. Corinth. 2, 2.

Nil nisi Jesum Christum crucifixum.

ROSTOCHI,

LITERIS JOACHIMI PEDANI ACAD. TYPOG.
ANNO M. DC. XXXV.

42.

M. E. C. T. A. E. Q. S. A. T. E. G. S.

*Magnifico, Consultissimo & Clarissimo
VIR O*

Dn. JOHANNI COTHMANNO
CANCELLARIO MEGAPOLITANO,
nec non vero.

Illusterrimi ac Celsissimi Principis ac Domini,

Dn. ADOLPHI FRIDERICI DUCIS ME-
gapolitani, &c. Consiliario intimo, & Capi-
taneo Neustadiensi gravissimo;

U T E T

Consultissimo, Excellentissimo ac Clarissimo

Dn. LAURENTIO STEPHANI
JECTO EXIMIO, ET PROFESSORI IN
Academia Rosarum meritissimo,
nec non

Illusterrimi ac Celsissimi Principis ac Domini,

Dn. ADOLPHI FRIDERICI DUCIS MEGAPOLI-
litani &c. Consiliario intimo, ac Cancellariae Direc-
tori dignissimo:

*Dominis Mecenatibus ac Promotoribus ater-
num sufficiendis*



hanc Theologicam agone

*in solemne observantiae πειρήσεων
tenue diligentiae σύμβολον*

submisso inscribit & dedicat.

HERMANNUS HARTMAN Rost.
Autor & Respondens.



SYN OEN.

UM ECCLESIA CHRISTIANA
hoc in primis tempore, memoriam acerbissime
sanctissimæq; passionis ac mortis Domini nostri
Salvatoris Jesu Christi recolat, opera precium
& nos facturos existimamus, si piam placidamq;
de istâ Satisfactione per Passionem Christi ac-
quisitâ instituamus ouï ymov. Ad quam instituendam inter alia
excitare nos potest ac debet (1) Mandatum Apostolicum, quo
ad frequenrissimam piamq; Christi recordationem ex stimulamur:
Memor esto, inquit Paulus, Dominum Jesum Christum resurre-
xisse à mortuis, 2. Tim. 2, 8. Recogitate eum, qui tales sustinuit
à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, Ebr. 12, 3.
(2.) Multiplex & non contemnenda Utilitas huic Meditationi
annexa, utpote que non tantum omnes peccatorum illecebras in
nobis extinguit, omniq; peccato quasi obicem ponit; sed etiam in
omni peccatorum angore firmam & vivam consolationem præbet.
Hinc Bernhardus rectè air serm. 62, super cant. p. 753. Quid est
tām efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quām Christi vulnera
meditatio sedula. (3.) Exempla sanctorum virorum, quos
hanc satisfactionem piè medicatos esse scriptura docet. Horum
ergo & nos ut vestigia legamus, enumeratis adducimur rationib;
Misso prouinde uberiori verborum proœmalium ambitu, ipsi
Disquisitioni manum admovemus.; Ut verò Status Contro-
versiae ricè recteq; formetur, includemus illum huic assertioni:

A 2

CHRI-

**CHRISTUS SATISFECIT PRO TOTIUS
MUNDI PECCATIS.** Melioris autem lucis ergo tria
breviter considerabimus membra: videlicet I. Subjectum satis-
faciens, II. Ipsam Satisfactionem. III. Objectum ejusdem.

Membrum Primum.

Subjectum, vel Persona satisfaciens est CHRISTUS,
*S*on $\psi\lambda\alpha\nu\theta\rho\pi\tau\circ$ & merus homo; sed $\delta\alpha\nu\theta\rho\pi\tau\circ$, Deus &
Homo in una persona. *E*s enim Christus nomen personæ: vel ut
rectius dicam, nomen officii competens toti personæ divinæ & hu-
manæ naturæ constanter.

2. *E*s igitur in Christo (1.) divina natura, secundum quam
verus Deus ab æterno à Patre ex sua essentiâ genitus, Ps. 2. Hinc
etiam dicitur Filius Dei vivi, Matth. 16, 16. Filius unigenitus,
Ioh. 1, 18. Primogenitus, Col. 1, 15. Proprius, Rom. 8, 32. in ipso
Deus benedictus in secula, Rom. 9, 5.

3. (2.) Humana natura, secundum quam verus homo in tem-
pore ex matre natus est, Gal. 4, 4. Hinc verè & propriè dicitur
homo, Luc. 23, 47. filius hominis, Dan. 7, 18.

4. *E*s ramen unus idemq; Christus, non aliter ex Patre, aliter
ex matre; sed aliter ex Patre, aliter ex matre: ex Patre per æter-
nam sine tempore generationem, ex matre per carnis in tempore
assumptionem, ita ut in eo sit non $\alpha\lambda\kappa\sigma$ & $\alpha\lambda\kappa\sigma$: sed $\alpha\lambda\kappa\sigma$ & $\alpha\lambda\kappa\sigma$.

5. Talis esse debuit noster Satisfactor sive Mediator Christus,
videlicet Deus & Homo, ut tanquam Mediator inter Deum
& hominem per suam ad utrosq; oīnēwōr & amicitiam & concor-
diam utrosq; reduceret & faceret, ut Deus assumeret hominem,
& homo se daret Deo, uti Irenæus loquitur lib. 3. cap. 20. Et non
distantia ab utraq; parte, sed propinquitas ad utramq; partem in
Mediatore requiritur. Hinc etiam Augustinus: Divinitas sine
huma-

humanitate non est Mediatrix, humanitas sine divinitate non est Mediatrix: sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam Mediatrix est divina humanitas & humana divinitas.

6. Deum igitur esse oportuit, ut divinam legem implere, infinitam Dei iram expiare, & pro peccatis hominum satisfacere posset. Merus enim & nudus homo, licet legi se subjecere, & pati ac mori potuisset: non tamen legem implere, & passione ac morte sua etiam si acerbissimam, equivalentis premium pro sui ipsius, pro aliorum minus, pro totius mundi peccato minime persolvere valuisset; finitae enim causae finitus quoque esse effecit.

7. Hominem etiam esse oportuit, ut in assumptâ humanâ naturâ tanquam aliud verus homo tentari, & tentationis conflictus immo acerbissimam passionem ac mortem experiri, utque fidelis Pontifex, in malis nostris commiseratione affici posset, Ebr. 2, 14, 17.

8. Breviter: Nudus Deus non debebat, quia homo peccarat, neque nudus homo poterat, quia Deus offensus erat. Requirebatur itaque talis persona, quae non tantum homo sed etiam Deus esset, ut Deus & Homo mediationem perficiat.

9. Qualemjam nostrum Satisfactorem esse oportuit, talem etiam Christum, non tantum fuisse, supra citata dicta probatum & certum fecerunt; sed etiam secundum utramque & divinam & humanam naturam pronobis satisfecisse cum scripturâ affirmamus.

10. Illa enim non tantum Jesum Christum nos à maledictione legis redemisse, Gal. 3, 13. nos à peccato lavisse, Apoc. 1, 5. sed ipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suavitatis obtulisse, Eph. 5, 2. assertit: sed & distincte, idem opus satisfactionis utriusque in Christo naturae ludo & agenti attribuit, quando nimis filium Dei nos à lege redemisse, Gal. 4, 5. opera Diaboli soluisse, Job. 3, 8. Deo morte suâ nos reconciliasse, Rom. 5, 10. & rursus Semen mulieris caput serpantis contrivisse, Genes. 3, 15. & Filium hominis venisse non animas perdere, sed salvare, Luc. 9, 55. dicit.

11. Utrāq igitur natura in persona Christi ad opus satisfactionis concurrit, suasq; naturales operationes ad illud confert. Utrāq natura (ut Symbolum Chalced. habet) agit quod suum est, sed cum communicatione alterius, distinctè sed non divisè, verū unitè agit.

12. Impiam idcirco & erroneam fovent sententiam Jesuitæ, & ante illos Stancarus, quando Christum quidem duabus naturis constare, sed non secundum utramq;, verū secundum humanam tantum pro nobis satisfecisse docent; quam ut obtineant, distinguere solent inter Principium Quod quale est persona satisfaciens, & inter Principium Quo quale est sola humana natura, in quā vel secundum quam Christus satisfecisse ab illis dicitur. Sed si Persona satisfecit, utiq; etiam divina natura à satisfactione illa nequit excludi. Cum Satisfactio hæc sit opus non finitæ naturæ humanæ, aut fæset, edifferant nobis, cur Filium Dei hominem fieri oportuerit.

13. Quare nos non tantum Christum Deum esse dicimus, sed etiam secundum utramq; naturam pro nobis satisfecisse credimus: Ob hanc verò infinitam personam satisfactio quoq; hæc infiniti est precii.

Secundum Membrum

est Satisfactio. Christus pro peccatis nostris satisfecisse dicitur.

1. Quamvis enim Deus summè sit misericors Ex. 34, 6. summeq; potens, Gen. 17, 1. protoplastorum tamen peccato usq; adeò graviter fuit offensus, ut illæsâ suâ justitiâ & veritate non potuerit nobis peccata nostra remittere, nisi sufficiens aliquod lumen & satisfactio interveniret.

2. Ita enim Deus misericors est, ut quoq; simul sit justus, neque misericordia in eo excludit æternam justitiam. Ita etiam omnipo-tens est ac sui juris, ut non agat contra suam naturam, cuius est punire malum; itemq; contra decretum homini promulgatum:

Quo-

Quocunque die comederis de vetitâ arbore, morte morieris.

3. Hinc admirabile hic temperamentum factum est & misericordiae & justitiae divinae. Lapso enim in peccatum homine, veritas & justitia Dei urserunt lapsi hominis paenam: Misericordia vero petitur, ut in gratiam reciperetur. Quod quia absolute fieri nequit salvâ justitiâ & veritate, Christus seâ medium posuit inter Deum offensum & homines offendentes, eosq; Deo reconciliavit, pro eorum peccatis ac peccatorum paenitatis faciens.

4. Hac autem Satisfactione, quae est prior officii Christi sacerdotalis pars vulgo distinguitur, in obedientiam Christi activam, quae in sanctissimâ vitâ: & passivam, quae in acerbissimâ passione & morte consistit, sed minus accurate.

5. Activa enim Obedientia Christi semper includit Passivam, ita ut vita Christi à nativitate usque ad ultimum vitæ terminum nihil aliud sit, quam vera & mera passio. Volve atque revolve totam Christi vitam, & nihil invenies, nisi tribulationes & stigmata dolorum, inquit Isidorus.

6. Sic & Passiva Obedientia non excludit actionem, sed eam semper presupponit, ita ut in ipso mortis articulo, actiones & virtutes, videlicet dilectio, patientia &c. seâ exeruerint, dum Christus pro hostibus crucifigentibus se, oravit patrem, Iohanni discipulo matrem commendavit, latronem in gratiam recepit, &c.

7. Hinc Christus dicitur in vitâ passivam actionem habuisse, in morte activam passionem sustinuisse. Non haec sibi oppositæ, sed individuo nexu conjunctæ sunt.

8. Quamvis igitur scriptura hinc inde soli morti & passioni Christi opus satisfactionis attribuat; non tamen sanctissimam Christi vitam à satisfactione excludit, sed ad passionem, tanquam præcipuam adeoq; ultimam obedientiæ istius partem, scriptura primariò digitum intendit, siquidem in eâ obedientiæ consummatio, adeoq; ultima quasi linea consistit, Philip. 2, 8.

9. Quae

9. Quapropter nos cum Scripturā afferimus, Christum unā illā rotā ac integrā Obædientiā suā, quam agendo & patiendo præstis-
tit, pro nobis satisfecisse, eāq[ue] tum culpam tum pœnam in quam
nos per Adamum incideramus, sustulisse.

10. Sicuti enim prior Adam deficiens, & Deo inobœ-
diens factus suā inobædientiā culpam & pœnam prome-
runt, ita ut ejus inobædientiā multi, hoc est, nos omnes constituti-
simus iniqui: Adam enim non ut Individuum pro suā tantum per-
sonā peccavit, sed ut species & stirps totius generis humani: Ita
posterior Adam Christus satisfaciens, & Deo obædiens fa-
ctus suā obædientiā & culpam & pœnam removit, ita ut
ejus obædientiā multi, hoc est, nos omnes, jam constituamur iusti.
Rom. 5, 29.

11. Hæc enim duo Lex adhuc à nobis requirit, videlicet obœ-
dientiam, quā satisfiat legis promulgatæ mandato: & pœnam
quā satisfiat legis violata maledictio.

12. Utrumque nobis factu impossibile est (1.) Legi satisfacere,
eīq[ue] perfectam obædientiam præstare non possumus. Lex enim spi-
ritualis est, nos autem carnales sumus, *Rom. 7, 14.* Caro vero le-
gi non est subjecta, neque potest subjici, *Rom. 8, 7.* Et posito, non
tamen concessò, si vel maxime perfectam & omnibus numeris ab-
solutam obædientiam legi præstare possemus, tamen apud Deum
nihil promereris, aut pro peccatis nostris satisfacere valemus: Cum
obædientia illa sit Deo ut Creatori nostro, jam ante debita, *Luc.*
17, 10. Debitorum enim sumus. Debitum autem non est meritum.
Hinc obædientia nostra legi præstata Deo quidem placet, sed Deum
non placat.

13. (2.) Nec pœnam peccatis nostris commeritam infinitam vi-
delicet iram, legis maledictionem, & æternam mortem sufferre
vel auferre valemus. Non enim frater fratrem redimet, *Pj. 49, 8.*

14. Itaque quia nos non fuimus solvendo, *Act. 15, 10.* *Rom. 8, 3.*
Chri-

*Christus noster Sponsor & Satisfactor solvit, Ps. 96, 5. Coloss. 2, 14.
pro nobis satisfaciens, tum perfectissimè legem implendo,
tum sufficientissimè premium solvendo.*

15. (1.) Legem pro nobis implevit. Non enim venit legem solvere, sed implere, Matth. 5, 17, 18. suscepta itaq; circumcitione, debitorem se fecit totius legis servandæ, Galat. 5, 3. eiq; ulterius se subjecit perfectissimam atq; infinitam obædientiam præstans, Gal. 4, 4. Conf. Gal. 3, 10. Rom. 8, 4. c. 10, 4.

16. Illud verè & perspicue quanvis scriptura dictis affirmatur, eò tamen audacia Piscator Herbornensis progressus est, ut, contra claram Scripturæ literam affirmare non veritus fuerit, Christum tantum obædientiâ suâ passivâ, (ut eam ita vocare licet) sive solâ passione ac morte pro nobis satisfecisse: obædientiam vero hanc, ut vocant activam sive legis impletionem, Christum ut creaturam & hominem Deo Patri ac Creatori suo exhibuisse, eaq; non nobis sed sibi æternam vitam ac gloriam promeruisse.

17. Falsum hoc & tum supra citatis tum etiam aliis Scripturæ dictis è diametro contrarium, utope quæ testantur Christum non esse servum sed Dominum leges, Marc. 2, 28. illum non sibi, sed nobis natum ac datum fuisse, Es. 9, 6. Luc. 2, 10, 11.

18. (2.) Violatæ legis poenam etiam in se suscepit, eamq; acerbissimâ suâ passione ac morte peperdit. Cum non propter semetipsum suaq; propria peccata (à quibus prorsus immunis fuit) sed propter nos nostraq; delicta, infinitos ac gravissimos animi ac corporis dolores & cruciatus subiit, Es. 43, 24, cap. 53, 4, 5, seqq. Janguinem suum profudit, Ebr. 9, 12, 13, 14, 15, 22. immo semetipsum obtulit, & tradidit se pro nobis oblationem & victimam Deo in odore bonæ fragrantia, Eph. 5, 2. Obædiens enim Deo factus est ad mortem, ad mortem vero crucis, Phil. 2, 8.

19. Et hæc est illa Satisfactio, quam Ecclesia Christiana hoc

B potis-

potissimum tempore plenis buccis eximiis laudum encomiis excollit, nobisq; omnibus fideliter inculcat, quam & Scriptura hinc inde ut infinitum ac sufficientissimum pro peccatis nostris premium depraedat.

20. Scripturam super hac re consulamus in sequentibus dictis.
(1.) Matth. 20, 28. Ibi Christus ipsemet dicit, se tradere animam suam eis λύτρων, in redemptionem. Conf. Marc. 10, 45. Hic λύτρον nos cum Smalcio, Ostorodo, Socino & aliis non metaphorice sumimus, ac si Christus animam suam tradidisset, ut inde non minus quam soluto redemptionis precio veris capti vivi evenire solet liberatio, & nos liberationem spirituali nostrâ peccati & mortis capti vivare consequeremur; sed propriè h̄c intelligimus λύτρων, sive satisfactoriam redemtionem. Nulla enim efficax ratio nos cogit ad impropiam vocis significationem descendere.

21. (2.) Et ut eo magis immunis maneat jam adductus locus à corruptelis hereticorum, produco alium ex 1. Tim. 2, 4. Hic locus significans est, quam ut tām frigidam admittat interpretationem. Paulus enim affirmat, Christum semetipsum tradidisse ἀντίλυτον. Ubi vox ἀρλ̄i in compositione hoc loco commutationem vel compensationem significat. Sicur Græcē ἀντίψυχος, quā pro altero mortis eō devovent, ut ipsum liberent: ita ἀντίλυτον est tale λύτρον, in quo liberator simile quiddam subit mali, quod ei imminebat, qui liberatur.

22. (3.) Ιντρειδη τη πμῆς inquit Paulus, 1. Corinth. 6, 20. Empti estis precio magno. Empio autem presupponit premium, quo aliquid emitur & acquiritur. Sic etiam nos (Paulo expressè attestante) emper sumus magna precio. Quodnam vero magnum hoc premium sit, Apost. Petrus nobis explicat 1.c. 1, 19. illudq; omni auro ac argento praefert. Et non immerito. Est enim preciosus Christi sanguis mundans nos ab omni peccato, 1. Johan. 1, 8. Si itaque aurum ac argentum sunt vere premium pro re acquisita satis faciens,

mul-

multò magis Christi sanguis pro nobis effusus. Conf. Apocal. 5, 9.
Eph. 1, 7. Coloss. 1, 14. Ebr. 9, 12, 15.

23. (4.) Solvi quæ non rapui, inquit Psaltes in personâ Messiae Psal. 69, 6. totus enim Psalmus loquitur de Christo, quod colligitur ex vers. 10. collato cum Joh. 2, 17. & vers. 22. cum Matth. 27, 48. Solutio autem debiti alieni est pro alio præstata satisfactio: quia igitur Christus pro aliis solvisse dicitur, recte etiam satisfactio: esse inde colligitur.

24. (5.) Actor. 20, 28. Deus Ecclesiam acquisivit proprio suo sanguine. Ubi est vocabulum $\tau\omega\mu\epsilon\iota\sigma$, quod quidem nonnumquam aliis in locis significat aliquid simpliciter obtinere, nullo satisfactionis interventu, hic verò non simplicem sed compensatoriam sive meritoriam significat acquisitionem, quæ fit interveniente verâ veri precii solutione; quia Deus dicitur acquisivisse Ecclesiam [1.] proprio suo sanguine; [2.] tanquam $\lambda\upsilon\tau\zeta\omega$. Conf. ante citata dicta.

25. Et hæc tota satisfactio agendo & patiendo præstata nostra est justitia, Rom. 4, 3, 5, 6, 23, 24. Ipsa justitia Christi est in nobis per imputationem, 2. Cor. 15, 20. Justitiae autem meritum, quod est vitæ æternæ gloria, in nobis futurum est per inhærentiam, Galat. 3, 21. Rom. 8, 18. Sicut ipsa peccata nostra in Christo fuerunt per imputationem Esa. 53, 6, 12. peccatorum verè merita vel pœna per inhærentiam, Esa. 53, 4, 5, 8. Gal. 3, 13.

De Membro Tertio.

Obiectum pro quo Christus $\delta\alpha\mu\beta\pi\alpha\pi$ suâ obedienciâ ita satisfecit sunt homines, non verò quidam tantum illorum, videlicet electi & credentes solum, sed omnes omnino homines nullo excepto, qui ab Adamo vixerunt, adhuc vivunt, & ad extremum usq; diem victuri, quiq; peccato tam originali quam actuali infecti & coquinati sunt.

2. Calviniani hoc negant. Nos verò affirmativam tenemus sententiam; in eamq; ut descendamus, habemus Scripturæ dicta, ut & rationes nec numero paucas nec pondere leves. Ex multis pauca quædam in apricum producemus.

3. Universalitatem igitur meriti vel satisfactionis Christi firmissimè evincunt

N^o Dicta clarissimè testantia Christum mortuum esse

(a) pro omnibus. Rom. 5, 19. Sicut per unius delictum condenatio venit in omnes homines, ita per unius justitiam in omnes homines justificatio. Qui locus adeò clarus ac firmus est, ut quid ad eum Calviniani firmiter excipiant, vix videam. Qui enim dicit omnes, neminem excludit, nisi universalē alibi restringat: hic autem ~~negat~~ nullam admittit restrictionem: sequeretur enim in alias, non omnes peccato originali esse infectos vel ~~infectos~~ non convenire ~~negat~~, gratiamq; Christi angustiorem & restrictionem esse culpā Adami; cum tamen illa hanc omnibus pars sangis longe excedat atq; supereret.

4. 2. Corinth. 5, 14. Si unus pro omnibus mortus est, ergo omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est Christus. In quo loco duo in primis notanda veniunt: (1.) Præpositionem ~~in~~ sive pro nobis, idem esse ac vice nostri, seu loco nostro, sicut in eamdem etiam significatione accipitur Joh. 11, 50. & explicatur per equipollentem particulam ~~in~~, Matth. 20, 28. præpositionem verò ~~in~~ non denotare utilitatem, sed substitutionem, permutationem, seu vicem alterius, patet ex Matth. 5, 3. Luc. 11, 11. (2.) notandum etiam in hoc dicto venit, vocem Omnis non ad electos tantum; sed ad omnes in universum homines se extendere, quod antecedentia & consequentia probant in primis vers. 10, & 19, 20.

5. 1. Tim. 2, 6. Christus dedit semetipsum pro omnibus, ubi iterum vocabulum Omnis non patitur se restringi ad solos electos; tradidit enim semetipsum pro omnibus (1.) quos Deus vult sal-

salvari, uers. 4. Atqui hi non tantum electi sunt, sed & reliquii omnes. (2.) pro quibus orandum esse ptacepit: neq; hi sunt soli credentes, sed & increduli, impius quoq; Magistratus, vers. 2.

6. (b) Pro toto mundo Christus satisfecisse dicitur. Mundo enim datus est à Deo, Johan. 3. 16. videlicet in satisfactionem ut nos Deo reconciliaret, 2. Cor. 5. Quod etiam praestitit tollens cœu Agnus Dei peccata mundi, Joh. 1. 29. & factus propitiatio non tantum pro nostris, sed & pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2, 1. Hinc etiam proprio suo jure Salvator Mundi dicitur, Johan. 4, 42. In quibus omnibus ac singulis dictis vox Mundi non pro quibusdam videlicet Electis tantum sumitur, (sic nupsiā in Scripturā accipitur) sed pro omnibus in universum hominibus, hæc in Scripturā passim obtinet acceptio.

7. (c) Pro reprobis qui culpā suā damnantur. Audiamus hic duo Apostolorum lumina, videlicet Paulum & Petrum, qui testes omni exceptione majores & simul arbitri erunt in hac decisione. Sic autem ille scribit Rom. 14, 15. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus est mortuus. Conf. 1. Cor. 8. ii. Huic Paulino effato calulum suum subjicit D. Petrus i. c. 2, 1.

8. Universalitatem Satissfactionis Christi demonstrant

■ Rationes quæ desumptae sunt à

(a) Benignâ Dei Patris voluntate, mortem impii non voluntis, Exech. 33, u. mundum diligentis, Joh. 3, 16. omnes salvari volentis, 1. Timoth. 2, 4. Hinc ita argumentamur: Quos Deus vult salvos fieri, pro iis Christus etiam satisfecit. Non enim nisi interveniente fide satisfactionem Christi apprehendente vult salvari: Atqui omnes vult salvari. E. pro omnibus Christus satisfecit.

9. (β) Filii Dei Incarnatione, qui omnibus natus ac datus est, E. 9, 6. & venit ad salvandum quod perierat, Matth. 18.

10. (γ) Universali Evangelii prædicatione, quod jubetur

*prædicari omni creature, Marc. 16, 16. ut omnes homines ubique
resipiscant, Act. 17, 30.*

ii. *Quamvis hisce & aliis pluribus Scriptura dictis & ration-
num monumentis adducti pro Universalitate Satisfactionis Christi
sti tanquam pro aris & focis strenue pugnemus, non tamen infi-
cias ire possumus, nisi ipsi veritati & quotidianæ experientiae con-
tradicere velimus, multos reperiiri, in modo maximam fere hominum
partem esse, cui hæc universalis Christi præstata Satisfactione non
salutaris ac proficia sit.*

12. *Hoc tamen non ipsi satisfactioni est imputandum; illa
enim non tantum potentiam, sed etiam re & ipso actu satis sufficiens
est pro peccatis omnium hominum, tam eorum qui per fidem sal-
vantur, Joh. 3, 16, quam eorum, qui per incredulitatem damnan-
tur, Marc. 16, 16.*

13. *Adscribendum verò hoc est hominum incredulitati, qui
oblatam gratiam & satisfactionem respouunt, & per veram fidem
sibi applicare nolunt.*

14. *Bene itaq; hic distingendum erit inter ipsam Christi sa-
tisfactionem, itemq; salutis æternæ acquisitionem, & intersatis-
factionis vel meriti beneficia, & fructum ejusq; per fidem applica-
tionem. Quà distinctione bene observatâ, multis Calvinistarum
argumentis obviari ire possumus: Illa qui desiderat, ut & plura
alia pro stabiliendâ hac nostrâ sententiâ, consulat inter alios
Dn. D. Meisner. Decad. 2. ἀνθεμωνια.*

15. *Nos intra brevitas cancellos consistentes, illis quæ citar-
imus nostram orthodoxam sententiam satis confirmatam arbi-
tramus. Manum igitur nunc de tabula. Christo pro no-
bis satisfaciēti devotas agimus gra-
tias.*

Dos

Doctissimo

Dn. HERMANNO HARTMAN-
NO DE UNIVERSALI SATISFACTIONE
Christi publicè disputanti.

PUblica sat genii documenta H A R T M A N N E dedisti,
Verbum è suggesto mag na cum laude docendo;
ne tamen auditor frustra videare suisse
illorum schola quos academica nostra docentes
sacra videt, tandem quoq; scandis amice cathedram
asseris & Christi meritum satis omnibus esse
consilio Patris æterni, qui qua patet orbis
omnes in christo summo dilexit amore
Macte ausis, nec enim labor hic mercede carebit.

l. mg. F.

M. ELIAS TADDEL Pastor
ad D. Petri Rostoch.

Dura satis tua Christe fuit sors, facta nefanda.
Quando forent merito nostra pianda tuo.
Et nisi duritie cui mens callosa; nec ullus
Ex hominum est numero qui id negitare queat,
Hoc tantum hic duri est Duri, quod duri ter ajunt.
Hoc meritum ad cunctos non bene posse trahi.
Aut si concludat cunctos, tamen (ô labra?) fese.
Mortales meritis posse juvare suis.
Hinc à duritie qui qui ducto nomine gaudes
Culte H A R T M A N N E tuum scribere ritè fluit

Hoc

*Hos duros dum non - duro molimine docte
Emollire studes. Perge Bezaea feres!*

Sympatriotæ & amico suo

L. M. Q. f.

M. MATTHIAS vom Lohn
Pastor templi Cathar: Rostochij.

Vult quisquam Superum sibi felicibus arvis,
Ambrosiaq; istuc recreari & Nectare perpes?
Discreta perpetua satagit momenta Salutis,
Quis, quibus & pacto quo cœlica testa reclusit.
Hæc, HERMANN E, stylo justo, ceu pagina præsens
Edocet, e narras, Hæc & conâre tueri.
Macte piis ausis, Deus his dabit incrementum,
Ast ego commisso mihi pro grege comprecor, audi
Me Deus, &, præsens quæ disserratio monstrat,
Huic da mente piâ noscat, teneatq; fideli:
Nam sic Elysij tandem sistetur agellis.

L. M. Q. F.

M. Johannes Kandler/ Diaconus
ad D. Petr.





Doctissimo

Dn. HERMANNO HARTMANNO DE UNIVERSALI SATISFA
Christi publicè disputanti.

Publica sat genii documenta HARTMANNO
Verbum è suggesto magna cum laude docen-
ne tamen auditor frustra videare suisse
illorum schola quos academica nostra docentes
sacra videt, tandem quoq; scandis amice cathedri
asseris & Christi meritum satis omnibus esse
consilio Patris æterni, qui qua pater orbis
omnes in christo summo dilexit amore
Macte ausis, nec enim labor hic mercede carebit.

M. ELIAS TAD
ad D. Petri

Dura satis tua Christe fuit sors, facta nefana
Quando forent merito nostra pianda
Et nisi duritie cui mens callosa; nec ullus
Ex hominum esse numero qui id negitar
Hoc tantum hic duri est Duri, quod duri ter aju-
Hoc meritum ad cunctos non bene posse
Aut si concludat cunctos, tamen (ò labra?) sese
Mortales meritis posse juvare suis.
Hinc à duritie qui qui ducto nomine gaudes
Culte HARTMANNE tuum scri

